

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertatio Exegetico-Critica Exhibens Vindicias  
Integritatis S. Scripturae Qvo Ad Locvm Vexatissimvm 2.  
Chron. XXII, 1.2 De Annis Ahasiae**

Consentiente Venerando Theologorum Ordine - A. D. X. Decembris A. R. S.  
MDCCI ... Pro Loco Professionis Theologicae Ordinario Pvblice Defendet

**Lilienthal, Theodor Christoph Lilienthal, Theodor Christoph**

**Regiomonti, MDCCL**

**VD18 90565665**

§. XXXII.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-15091**

Non omnes quidem Matthaeus in genealogia Christi, quam v. 17. in tres distinguit tesseradecades, enumerat generationes immediatas; siquidem et Ioahafum Vfiac parentem ideo omittit, quia in secunda tesseradecade non nisi tales personas nominare voluit, qui tanquam reges reipublicae praefuerunt; id quod de Ioahafio non valet, qui nunquam non priuatam egit vitam. Ast ratio tamen esse debet, cur praec aliis potissimum Achafiam Ioafum et Amaziam, Reges immediate sibi succedentes omittat, quamvis duo posteriores non solum melioris notae fuerint principes, sed etiam alter per XL. alter per XXIX. annos regnum Iudaicum gubernauerint. Hos praec aliis commemorare debuisset; nisi ob peculiarem rationem, admissio LXX. annorum intervallo, silentio praeterire illos voluisset. Sed alia forsitan ratio huius silentii dari vix poterit, nisi quod dicti Reges ad Christi genealogiam reuera non pertinent.

### §. XXXII.

Collatis omnibus, quae in hac Dissertatione exposuimus argumentis, sufficienter ut arbitror patebit, nostram de annis Achasiae sententiam, ob insignem probabilitatem suam, caeteris anteferendam esse. Si suas, quod non nego, adhuc habet difficultates; minores tamen erant, quam quibus laborant reliquae. Ab omnibus sane difficultatibus Chronologia sacra libera esse nequit. Latent nos saepenumero peculiare rerum gestarum circumstantiae, quas si sciremus, melius nodos hinc inde occurrentes extricare possemus. Consuetudines priscorum temporum et remotiorum regionum a nostris valde differunt: hinc fieri olim et alibi potuit, quod hodie apud nos fieri non solet. Praeterea Scriptores sacri annos Regibus assignatos plenos numerare solent, quamvis incepti tantummodo fuerint: quod in collatione annorum regiminis Regum Iudae cum annis Regum Israelis, multum negotii facessit interpretibus; maxime quando initium epochae cuiusdam diserte indicatum non est. Licet vero non semper datum nobis sit, in his aliisque id genus circumstantiis, plenariam attingere apodixin; sufficere tamen probabilitas hermeneutica, qua cum merito eligimus sensum, qui et verbis phrasibusque, et scopo dicentis omnium convenientissimus est, quamvis suas adhuc habeat difficultates. Et si vel maxime post omnem laborem dubia nonnulla remanerent, quibus resoluendis nos pares non sumus; alii forsitan perspicaciores praestare id poterunt. Quis vero ideo sacris litteris corruptionis maculam inurere vellet quia pro exiguo quo pollet ingenii modulo, omnes dispellere nondum valeat? Habent sane ipsae hae difficultates utilitatem suam. Studium scripturas acuiunt, et manifestum imbecillitatis nostrae sunt indicium. *ἐν μέγας γὰρ γινώσκουεν, καὶ ἐν μέγας προφητεύουεν.* 1 Cor. XIII. 9. Studeamus modo, ne rimando circumstantias historiae sacrae accessorias, licet in se utilissimas, et ad retundendam Antiscripturariorum impietatem consideratione dignissimas, dulcem Verbi diuini nucleum negligamus. Ideo enim in primis incorrupta S. Scripturae tuenda est integritas; ut de reuelata nobis in eadem via salutis plenam obtineamus conuictionem. Opera vero danda est, ut quam integram habemus voluntatem diuinam, ex integerrimo quoque corde faciamus.

